

*Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli  
ad Colossénses

1, 12-20

**F**ratres:

- <sup>12</sup> **G**rátias ágimus Deo Patri,  
qui idóneos vos fecit  
in partem sortis sanctórum in lúmine;  
<sup>13</sup> qui erípuit nos de potestáte tenebrárum  
et transtulit in regnum Fílii dilectiόνis suæ,  
<sup>14</sup> in quo habémus redemptiόνem,  
remissiόνem peccatórum;  
<sup>15</sup> qui est imágo Dei invisíbilis,  
primogénitus omnis creatúræ,  
<sup>16</sup> quia in ipso cóndita sunt univérsa in cælis et in terra,  
visibília et invisibília,  
sive throni sive dominatiónes  
sive principátus sive potestátes.  
Omnia per ipsum et in ipsum creáta sunt,  
<sup>17</sup> et ipse est ante ómnia,  
et ómnia in ipso constant.  
<sup>18</sup> Et ipse est caput córporis ecclésiæ;  
qui est princípium, primogénitus ex mórtuis,  
ut sit in ómnibus ipse primátum tenens,  
<sup>19</sup> quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem habitáre  
<sup>20</sup> et per eum reconciliáre ómnia in ipsum,  
pacíficans per sánguinem crucis eius,  
sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.

Verbum Dómini.